

bono, & pacifico statu stent, & conserventur, & ab oneribus, & expensis defendantur, & hoc tam in faciendo pacem, & concordiam, & parentelas, & conjunctiones per matrimonium inter homines partium Alexandriae, & inter alios homines Alexandriae, sicut sibi videbitur pro meliori, quam super facto illorum, qui tenent pedagia, & redditus, & res, & jura communis Alexandriae, secundum quod ei videbitur pro majori honore suo, & utilitate, & etiam super illis, qui petunt aliquid a communi, vel populo, seu ab aliis singularibus personis obligatis pro communi, vel populo, & generaliter super omnibus, & singulis factis, negotiis, & rebus, & juribus communis Alexandriae praeteritis, praesentibus, & futuris, & quod super his omnibus, & singulis praedictis Dominus Marchio habeat bailiam, potestatem, mistum, & merum imperium, quod placet ipsi consilio consulere, & ordinare super praedictis.

D. Obertus Canis dixit, quod Dominus Marchio habeat bailiam ad totam suam voluntatem super omnibus, quae in posta continentur, & sicut in posta continentur, non obstante aliquo statuto &c. D. Nicolaus Merlanus dixit, & consuluit similiter. In reformatione cujus consilii facta, & revoluta per dictum potestatem placuit toti consilio, ut dixit D. Nicolinus Merlanus, & D. Obertus Canis. Testes interfuerunt Opicius Pastor, Gulielmus Balbus, Vixinus de Bosco, & Obertinus Cubator. Ego Bonifacius Boccaccius Notarius Palatii, & Officialis litterarum, & consiliorum Alexandriae hanc reformationem consilii, postam, & dicta dictorum sapientum feci, &c.

Conventiones inter Fratres Praedicatores, & Minores circa praedicationem in Alexandria & finitimis oppidis.

239

MCCLXXXI.

Anno MCCLXXXI. In nomine Domini. Con-
venerunt Fratres Praedicatores, & Minores de Alexandria ad majorem honestatem suam, & pacem praedicationes suas taliter ordinare, videlicet, quod fratres unius ordinis una septimana praedicent in Gamundio, & Borgoglio, & fratres alterius ordinis in eadem septimana praedicent in Roboreto, & Marengo. In alia septimana fiat e contra, & sic currat per annum totum. Quum incipiat proxima Dominica adventus, in qua septimana prima adventus propter Dominicas, quae sunt pares, ut fiat major variatio, praedicabunt in eis quarteriis civitatis, in quibus praedicarunt septimana proxima praecedenti, non se alternando in illis duabus septimanis. Hoc autem ita servetur, quod in aliorum terminis, & septimana alii quantumcumque rogati, & invitati non praedicent ullo modo, excepto in domibus religiosis, in quibus quicumque invitati... praedicare possint... nullo dumtaxat illuc populo convocato. In domibus vero propriis praedicabunt utrique quatenus, & quantum voluerint, excepto quod nec ibi, nec alibi in tota civitate, nisi forte religiosi sine populi convocatione. Praedicabunt fratres unius ordinis in festis sanctorum

ordinis alterius, sic sunt festa Beatorum Marci, Dominici, & Petri martyris quoad Praedicatores, & festa B. Francisci, & Antonii de ordine Minorum quoad Minores. In omni etiam die lunae praedicabunt fratres Minores in domo dominarum suarum exceptis festis praedictis fratrum Praedicatorum, quando tali die evenerint, & fratres Praedicatores, si contingat fieri in Alexandria domus dominarum ad ipsos pertinentium, praedicabunt, si voluerint in domo ipsarum per totum annum in una die in septimana, quam elegerint, praeter diem lunae, & diem Veneris, exceptis praedictis festis fratrum Minorum, quando in ea die evenerint. Item fratres Praedicatores non praedicabunt in domo sua, nec alibi in civitate in festis Dominarum fratrum Minorum, scilicet sanctae Mariae Magdalenae, & sanctae Clarae. Nec fratres Minores praedicabunt in domo sua, nec alibi in civitate in festo principali Dominarum, si quae fuerint fratribus Praedicatoribus pertinentes. Quantum vero ad generales praedicationes, quae fuerint per stationes ordinatas, & intuitu pietatis apud S. Christophorum de Gamundio, & de Borgoglio apud S. Mariam de Bethlem, & S. Lazarum, & S. Spiritum, illi, qui hoc anno praedicaverint ibi, non ibi praedicent isto anno sequenti, siue praesenti, sed potius praedicent alternatim. De praedicationibus villarum sic fiat, videlicet si contigerit fratres non invitatos ire ad villas aliquas causa praedicandi, & casu aliquis alterius ordinis supervenerit causa praedicandi similiter, qui primus ibi fuit habeat optionem praedicandi ibi, quod intelligendum eadem die mane, vel post prandium, & si ibi fuerint duo festa sequentia immediate solemniter celebranda, eligat ipse quod voluerit... idem fiat de missa, & praedicatione. Quod si alter scilicet, qui venit ultimo, noluerit praedicare post prandium, vel non potuerit ibi esse aliqua occasione interveniente, habeat similiter optionem dicendi missam, vel praedicandi, qui prior venerit. Item quod fratres illius ordinis, qui praedicabunt in Quargnento in Nativitate Domini non praedicent illo anno in festo S. Dalmatii, & contra fiat in anno sequenti, & intelligimus Nativitatem Domini per quatuor dies tantum, videlicet diem Natalis, diem S. Stephani, S. Johannis, & festum Puerorum; ita quod alii fratres praedicare possint ibi, si voluerint in Circumcisione Domini, & in Epiphania, & Dominica octava. Similiter in villa Solerii quicumque praedicaverit ibi in Nativitate Domini, non debeant alii fratres ibi praedicare in S. Perpetuo, & ita fiat e contra anno sequenti. Illud idem intelligatur de villa Fiblanaarum, & Montiscastri. Item in Quadragesima, quoniam fratres vadunt ad villas causa praedicandi, & confessiones audiendi, qui prius intraverint villam, cedant ei alii per octo dies, & non amplius, si alii fratres voluerint ibi praedicare. Item prior fratres suos, & guardianus suos saepe monere debeat, ut caveant sibi ab offensionibus alterutrum, & hoc non solum factis, sed etiam verbis, & si quis contra fecerit, graviter per utrumque Praelatum, scilicet Priorem, & Guardianum, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, puniantur. Et ista compositio, siue ordi-